

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Narratio comica de amicitia Damonis ac Pythiae**

**Omichius, Franciscus**

**Noribergae, 1617**

Actus III. Scena 3

[urn:nbn:de:bsz:31-138648](#)

tibi detulerint. Quin potius ita acturos  
certò scio, ut multiplices querant elabendi  
vias: aut se non amplius horum, quæ tu  
inculcas, verborum meminisse dicant.  
Itaq; Damonis illa, Pythiæq; monita, ma-  
xime necessaria sunt mihi visa.

DIONYS. Non pœnitit me hodierno  
die dissertationes vestras auscultasse, Viri  
Optimi: easdemq; memoriae infigam, &  
per omnem vitam sequar. Nectam cito  
ac facile amici nomine quenquam, haud  
prius exploratum, dignabor. Jam valete  
ac de meo in. vos propenso animo ne-  
quaquam dubitate.

*Actus III. Scena 3.*

DAMON. PYTHIAS, DION.

DAMON. Ille hinc abiit. Ego autem  
quamvis inter aulæ familiares ac regis  
consiliarios haud essem adscriptus, tamen  
non indignarer. Nam hoc aëvo quicunq;  
optima consulere, & magnates de ratio-  
ne gubernandi Rempublicam liberè mo-  
nere instituit: in maximas sœpè angustias  
ac pericula incidit.

**PYTHIAS.** Evidem in suspicienda  
hac provincia nequaquam audivimus Ma-  
gistrum illum nostrum : qui non semel  
admonuit , declinanda esse ejusmodi o-  
nera, & fugiendas potentum amicitias. Il-  
los enim se solos sapere judicare. Ac si  
quis illorum sententiis adversetur, & quæ  
incommoda in totam ditionem inde sint  
redundatura,demonstret : in eum princi-  
pes amaris dictis invehi , nec censorem  
atq; Aristarchum æquo animo ferre po-  
se. Quod ne ad extreum nobis etiam  
eveniat, valdè metuo.

**DION.** Et ego libens hâc molestiâ su-  
persederem: neq; inhiavi unquam tantis  
dignitatibus , in quibus fellis plus inest,  
quam mellis. Nam ita res habet, ut mo-  
dò commemoravit Damon. Qui enim ad  
honorum fastigia evehuntur, & regibus  
sunt à consiliis : eos anxiae premunt curæ,  
urget multiplex sollicitudo,in se etatur in-  
vidia, odiumq; plurimorum. Nec ego ex  
aliis auditâ loquor, sed ipse longo tempo-  
re expertus sum , quanta sit plerorumq;  
improbitas: quantæ adulations in aulis:  
quantæ verborum blanditiae: quanta ani-  
morum



morum perversitas. Si quem fides sua  
regi commendat, ut apud eum sit in gra-  
tia: multi existunt ejus adversarii, qui dies  
noctesq; inter se agitant consilia, ut eum  
malis artibus Regi infensum reddant, deq;  
gradu dejiciant. Nam in aulis, ut lenta  
sunt beneficiā, ita præcipites injuriæ, quas  
accipere & mussitare te oportet, si in aula  
velis consenescere. Et non raro etiam  
insontes & fidelissimos consiliarios gravis  
manet exitus. Nam fluxa res est regum  
favor: & bene meritis pessima, ut pluri-  
mum, refertur gratia.

D A M O N. Tanquam ex tripode hæc  
protulisti , Dion. Interim tamen negari  
non potest, Diis curæ esse illos , qui offi-  
cio suo, ut debent, funguntur. Nos itaq;  
faciemus, quæ nostri sunt munera: even-  
tum autem ipsis numinibus committe-  
mus. Spero enim futurum, et, si qui inju-  
riâ ac vi nos circumretire aggrediantur:  
fraus tamen ad illos ipsos recurrat,  
eosq; pessundet, à quibus fuit  
exorta.

*E s*

284